



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Synopsis Magnalium Divi Josephi**

**Ignatius <a Sancto Francisco>**

**Leodii, 1684**

Approbationes Ordinis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38500**

# APPROBATIONES ORDINIS.

FR. ALBERTVS A S. GERMANO humilis Prior Provincialis Ordinis Fratrum Beatissimæ Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmelo Provinciae Franciæ.

Magnalium Divi Iosephi Synopsis à R. P. IGNATIO A S. FRANCISCO Sacræ Theologiæ Lectore, Carmelitâ Leodiensî &c. pulcherrimo ordine concinnatam non tantùm commisimus ut nonnulli Theologi nostri, uti de more legerent antequam prælo dateretur, ut suam super sententiam referrent, sed etiam nos ipsi illius quam in legendo se percepisse retulerunt satisfactionis participes fieri volumus, & eam pari, aut forte majori cum satisfactione perlegentes, perspeximus, vidimus oculis nostris, & probavimus uti Regina Saba 3. Reg. 10. in Salomone, quod media pars mihi nuntiata non fuerit, majoremq; in eo opere inclusam esse sapientiam, quam rumor quem audivimus. Nil minus ab Authore ad augendum erga Sanctissimum illum æquè ac potentissimum Patriarcham non tantùm Carmelitarum, sed etiam omnium fidelium cultum, devotionem, & existimationem expectandum erat, quem ut ætate & religione coævum semper vidimus & notavimus erga eundem devotissimum & addictissimum. Igitur uti Theologus censemus prælo dignissimam, & uti Provincialis autoritate Officii nostri tenore præsentium non tantùm Authori permittimus ut eam prælo committat servatis servandis, sed etiam ut id faciat quàm primùm poterit exhortamur, & eo fine eidem sanctæ Obedientiæ meritum impertimur. In quorum fidem, &c. Datum in Carmelo nostro Leodiensî 7. Septembris 1682.

FR. ALBERTVS A S. GERMANO Provincialis.

Locus (†) Sigilli.

FR. PETRUS THOMAS A S. MICHAELE Assistens.

Synopsim Magnalium Divi Iosephi, &c. à Reverendo Patre IGNATIO A S. FRANCISCO Sacræ Theologiæ Professore, Carmeli Leodiensî semel & iterùm Priore, Provinciae nostræ Franciæ Definitor, & S. Germani in Oppido Huensî Pastore dignissimo, compositam maturâ cum attentione, diligenti discussione, & animi voluptate non parvâ perlegi ex commissione Reverendi adm. Patris nostri Provincialis: Opus est profundissimâ eruditione plenum, veræ fidei, Christianisque moribus haud dissonum: Stylo Historico, Theologico, Oratorio, Morali, Mystico, eoque tam claro, subtili, & novo tanti Patriarchæ Prælogativas omnes, maxime Prædestinationem ipsius æternam, Genealogiam Regalem, Paternitatem Divinam, Virginea Sponsalia, Patrocinium potentissimum attingit & explicat, ut nihil solidius ad fidelium devotionem erga tam Supremum Patronum excitandam, conservandam, & augendam, nihil locupletius ad materiem Panegyris in infinitum Concionatoribus subministrandam desiderari posse videatur. Quare luce & prælo prædignum censeo. Datum in Carmelo nostro Leodiensî in Insulâ 10. Julii 1682.

FR. LAVRENTIUS A S. ROCHO Sac. Theologiæ Professor, Carmeli Leodiensî in Insulâ Prior, & Provinciae Franciæ Definitor.

A Mantissimi Patris Jesu, atque intemeratæ Virginis Sponsi castissimi Magnalia in hæc Synopsi ea animi voluptate ex commissione R. adm. Patris nostri Provincialis perlegi, absolutissimum sanè Opus, tantâ suavitate referunt, tantâ ubertate plenum, ut non nisi Spiritus Sancti dictamine videatur elaboratum, in illo namque Beatissimi Viri mirabilis Sanctitas novam in lucem prodit, Angelica præfulget Castitas, castissimæ Sponsæ digna connubio, profundissima lucet humilitas, qualis humiliari Verbi decet Patrem, amor in Sponsam & Prolem tenerimus mentes sacris adurit ignibus, atque omnium virtutum suavissimi flores iustum adornant: Gratiæ denique dona, privilegia nulli Sanctorum concessa, ad summum gloriæ & potestatis post Virginem apud Deum apicem meritò extollunt: quare cum omnia Pietatem & Sanctitatem maxime redoleant, nihilq; sit orthodoxæ fidei dissonum, prælo dignissimum judico. Datum Hui hæc 29. Julii 1683.

FR. LAMBERTVS A S. THEODORO Carmelita Leod.

Pastor S. Martini Hui.

b

APPRO-

Synopsis

Magnalium  
D.  
Iosephi  
SY  
1682